

16

435
1781, 36
DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA

D E

FIGMENTO CRIMINIS FAMOSI LIBELLI.

QVAM

DIVINIS AVSPICIIS

ANNVENTE INCLYTO IVRECONSULTORVM ORDINE

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTRQVE IVRE HONORES

ATQVE PRIVILEGIA DOCTORALIA

RITE CAPESSENDI

PUBLICAE DISCEPTATIONI

SUBMITTIT

IOHANNES MICHAEL SCHMIEDIVS

HERESBRVCCENSIS.

D. XII. MARTII C¹⁷CCCLXXXI.



ALTDORFII

TYPIS IOHANNIS ADAMI HESSELII ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

DISTRIBUTIO IN AGRARIS IURIDICA

LEMNIUS CRIMINIS LAMIA TRINITATIS

PARVUS

DIVINIS VITRIBUS

PRIMA TITULATO LAMIA CRIMINIS QVI

PRO FICINTIA

SUMMOS IN AUTODAE IURE HONORIS

ALIA SENSIBUS DOCUMENTATIONE

LITERARIBUS

MANICAE DISTRIBUTIONI

SEMITITIA

JOANNES MICHAEL SCHMIDIAS

HERZBURGACENSIS

¶. XLII MARCHI 1610 CCCLXX.

ALTDORFI

THYS IOANNES ADAM HESSENI ACADEMIE LUDOGESIANI.

SACRI ROMANI IMPERII
LIBERAЕ AC PERILLVSTRIS
REIPUBLICAE NORIMBERGENSIS
SENATI
SPLENDIDISSIMO
PERILLVSTIBVS GENEROSISSIMISQVE DOMINIS
DOMINIS
DVVMVIRIS
TRIVMVIRIS
SEPTEMVIRIS
CONSVLIBVS
SENATORIBVS
SALVTIS PVBLICAE CVSTODIBVS
VIGILANTISSIMIS
SVMMIS LITERARVM STATORIBVS
MAECENATIBVS SVIS
INDVLGENTISSIMIS

REGIMENT FORTVNATVM ET TRANQVILLVM

VALET VDINEM INTEGRAM

ET

VITAM LONGAEVAM

GENEROSSISSIMARVM FAMILIARVM

FLOREM PERENNEM

A

DEO. OPTIMO MAXIMO

PIE ADPРЕCATVRVS

D. D. D.

TANTORVM NOMINVM

JOHANNES MICHAEL SCHMIEDIVS

HERESBVRGENSIS.



INTROITVS.

Nullius rei in vita communi minus determinatum esse conceptum ac *famosi libelli*, ideoque non mirandum, illum inter arbitrarias ICTORUM irrepsisse opiniones, docet Auctor libelli, vom Geist der Criminal-Gesetze. a) Varias quoque accepit denominationes famosus libellus. Dicitur v. c. famosa scriptio libellorum, famosa series scriptionis, charta vel chartula famosa, captiosa atque occulta conscriptio, historia, carmen vel liber ad infamiam, carmen famosum *h*malum, canticum famosum, opprobriorum tabulae, versus famosi. b)

a) Hamburg 1777. 8vo. p. 57.

b) I. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, et l. ult. C. Theodos. de famos. lib. §. 1. I. de iniur. l. 5. §. 9. ff. de iniur. et famos. lib. l. 21. ff. de test. l. 18. ff. qui rest. fac. poss. SENEC. Lib. V. controv. PAUL. Sentent. Lib. V. Tit. 4. §. 15. HORAT. Serm. Lib. II. Sat. 1.

§. I.

COMMUNIS FAMOSI LIBELLI DESCRIPTIO.

Effingunt Interpretes iuris criminalis peculiare quoddam delictum *famosi libelli*, cuius existentiam et characteres prima-

rio ex constitutionis criminalis carolinae articulo 110. derivare solent, ubi Imperator edicit.

„Item welcher iemandt durch Schmachschrift, zu Latein li-
 „bel famosi genannt, die er ausbreittet, und sich nach Ord-
 „nung der Recht mit seinen rechten Tauf- und Zunamen nit
 „widerschreibt, unrechtlieker unschuldiger Weiss Laster und
 „Uebel zumist, wo die mit Wahrheyt erfunden würden,
 „dass der Geschmecht an seinem Leib, Leben, oder Ehren
 „peinlich gestraft werden möcht, derselbig boshaftig Lästerer
 „soll nach Erfindung solcher Uebelthat, als die Recht sagen,
 „mit der Peen, inn welche er den unschuldigen geschmechten
 „durch sein böse unwahrhaftige Lästerschrift hat bringen
 „wollen, gestraft werden. Und ob sich auch gleichwohl die
 „aufgelegt Schmacb der zugemessen That inn der Wahrheit
 „erfunde, soll dannoch der Ausriffer solcher Schenach nach
 „vermög der Recht und Ermessung des Richters, gestraft
 „werden.“

Nempe sub delicto famosi libelli intelligunt scripturam, qua
 quis criminis poenam, vel capitalem vel non capitalem inferentis,
 samam tamen fugillantis, insimulatur, in publicum evulgatam.
 Quamvis autem huius delicti expositionem plerumque doctrinae de iniuriis adiungere, imo illud inter species iniuriarum
 scriptarum referre solent, revera tamen famosum libellum

pro-

propriis suis terminis includunt, peculiarem naturam a reliqua iniuriarum indeole plane recentem illi tribuunt, separatim requisita ad illius existentiam necessaria figere anxie laborant, poenam singularem concipiunt, uno verbo, famosum libellum à reliquis iniuriis non obiecto solum et modo, quo convitium exseritur, sed essentia sua et interna qualitate discipare, et proprium delictum constituere testantur.

§. II.

COMMUNIA INTERPRETVM REQVISITA AD ESSENTIAM CRIMINIS FAMOSI LIBELLI.

Scilicet ut ante omnia communem Interpretum, recentiorum praesertim, doctrinam brevissimis complectar verbis, requirunt I.) scripturam sensu latiori acceptam, criminis obiectionem continentem. 2) Et quamvis Interpretes antiquiores plerique verbis articuli *mit seinen rechten Tauf- und Zusamen mit unterschreibt*, strictius inhaerentes, celationem nominis ab auctore factam ad essentiam huius delicti pertinere voluerunt, 3) recentiores tamen unanimi fere consensu scripturam quoque nomen auctoris prudentem ideo in eandem classem referendam esse docent, quod 1) totus articulus, ut verba nach *Ordnung der Recht* indicant, ex iure romano decerpitus, verum tamen legibus quibusdam male intellectis superstructus sit, cum potius verba legis 5. §. 9. D. de iniur. et fa-

mof.

mof. lib. ibi: etiam si alterius nomine ediderit vel sine nomine, nil nisi extensionem ad scripta sine nomine evulgata innuant, minime autem libellum famosum ab auctore subscriptum excludant, sicut etiam ex l. fin. C. de famos. lib. appareat, eum quoque qui nomen professus fuerit, si asserta sua minime vera ostenderit, capitali supplicio plectendum esse, quibus rationibus deinde 2) accedat clarissima atque correctoria dispositio Recessus Imperii de a. 1577, Tit. XXXV. §. und sezen, verbis, es habe der Autor seinen Namen darunter gesetzt oder nicht, qua omnis controversiarum materies, ex Romanorum legibus olim oborta, sublata totaque distinctio simul everfa sit. c)

a) Hinc etiam comprehendunt picturam, sculpturam, imo nummos ad alieuius infamiam cusos, de quibus vid. c. A. KLOZIVS in opusc. numerar. p. 1. sq. BOEHMER. ad Carpz. quaeſt. 98. obs. 1. ERVNQVELL. de picturis famosis.

b) Inter eos, qui ciationem nominis ad effentiam famosi libelli requirunt, praecipue referendi sunt:

SCHROETER de famosis libellis. Ienae 1630.

BARDILI de subscriptione, c. 6. n. 8.

BEYER ad Dig. Tit. de iniur. posit. 8.

LAVTERBACH in colleg. theoret. pract. Tit. de iniur. §. 68.

CARPZOVIUS pr. rer. crim. quaeſt. 98.

BERGER. Elect. iurispr. crim. p. 88.

KRESS. ad C. C. C. art. 110.

LEYSER. fp. 552. m. 2.

c) Cela-

C) Celationem nominis haud exigunt

DONAVER in diff. ad L. unic. C. defamos. lib.

HERTIVS Rep. 101. n. 25.

I. S. V. BOEHMER in Obj. ad Carpz. quæst. 98. obj. 3. et in Medit. ad C. C. C. art. 110. §. 6.

MEISTERVS in princip. iur. crim. §. 149.

KOCHIYS in instit. iur. crim. §. 386.

QVISTORP Grundsaæze der teutschchen peinlichen Rechte. §. 313.

PVITTMANN in element. iur. crim. §. 415.

§. III.

REQVIRVNTE DELICTVM FAMOSVM LIBELLO OBJECTVM,

S. VERVM, S. FICTVM.

H.) Alterum requisitum, cui hactenus Interpretes stricte inhaeserunt, in eo consistit, quod certae alicui personæ, **a)** aut nominatae, aut ita saltem descriptæ, ut, de qua narretur fabula, statim appareat, **b)** crimen infamans libello objectum fuerit. In quo characterem genuinum, famosum libellum ab omnibus aliis iniuriis distinguenter invenisse sibi visi sunt. Imo, quamvis ipsi hodie in eo omnes fere convenient, poemam legibus romanis et Carolina statutam non amplius applicari posse, sed arbitrariam solum obtinere, pro diversis doligradibus et reliquis circumstantiis definierandam, illud tamen requisitum criminis infamantis objecti ideo inculcant quoniam

B

i) non

1) non solum leges Romanae talia exigant, sed et 2) in C. C. art. 110. eadem criminum obiectio supponatur: *wo die mit Wahrheyt erfunden würden, dasz der Geschmecht an seinem Leib, Leben oder Eben peinlich gestrafft werden möcht.* c) Intelligunt autem sub eo crimine non solum tale quod capitis aut corporis afflictivam infert poenam, sed et ex quo sola iuris infamia imminet. Hinc ad poenam famosi libelli sufficere haud putant e. g. stuprum obiectum, quum illud e recentiorum doctrina, infamiam iuris, hodie non inferat. d) Arcent quoque haereticos insimulationem, quoniam dispulsi ignorantiae tenebris hodie vix dubitari queat, quin haeresis sit solus error intellectus, omneque crimen ex rei veritate, non sola intentione erronea delinquentis aestimandum sit. e) Denique etiam mera scurrilitas, *solan infamiam* fine criminis allegatione obiectam, scripturas satyricas in contemnum magis quam infamiam vergentes, et reliqua convitia minime ad famosi libelli censum, sed meras iniurias pro re nata ablegandas esse putant. Ceterum tamen haud distinguendum esse docent, num crimen obiectum verum an falsum sit, quoniam genuini delicti characteres eo, quod alicui illegali et iniurioso modo crimen scriptura propalata obiectum sit, absolvantur, ideoque C. C. C. expressis verbis in fine articuli 110. disponat, *und ob sich auch gleichwol die ausgelegte Schmach der zu-*
gemeissen

gemessen That in der Wahrheit erfunde soll dannoch der Ausruf
fer solcher Schmach nach Vermoeg der Recht und Ermessung des
Richters gestraft werden. ⑩

- a) Quæstionem, an personæ etiam morales, societates etc. libello famoso possint protocandi, rectissime credo contra FRIESE in diff. de famos. lib. §. 17, affirmando decidit, QVISTORP in den Grundsätzen des teutschen peinlichen Rechts. §. 313. not. a.
- b) Quoniam demonstratio, (ut cum FLORENTINO in l. 34. D. de cond. et demonstr. loquar) nominis vice hic fungatur.
- c) BOEHMER ad Carpzov. quæst. 98. obs. 1.
KOCHE, l. c. §. 383.
QVISTORP, l. c. §. 313.
- d) vid. REINHARD ad Christin. Vol. I. obs. 8.
BOEHMER. ad Carpzov. quæst. 69. obs. 1.
- e) QVISTORP. Abhandlung ob eine bürgerliche Wittwe, welche nach ihres Ehemanns Tode eine unzüchtige Lebensart treibet, die ihr von ienem verschriebenen Vermaechtnisse, und andre zugebilligte Vortheile verleihe? in seinen Beiträgen P. II. n. 2. p. 55.
- f) BOEHMER ad Carpzov. quæst. 98. obs. 1.
BOEHMER ad Carpzov. quæst. 98. obs. 4. et in Medit. ad C. C. C. are.
110. §. 3.

§. IV.

LIBELLI PROPALATIONEM.

Porro

III) ad consummationem delicti desiderant propalationem scripti famosi, quoniam ea demum extantior pateat iniuria,

B 2

atque

atque de animo iniurioso evidenter constare possit, cuius rei vix detur certius argumentum quam quod sparsio in vulgus suffiditat; id quod ipsa articuli 110. verba, die er ausbreitet, atque expressio der Ausruffer ibi occurrēns satis perspicue innuere videntur. Eam vero propalationem, affixione, impressione a) palam facta communicatione, abiectione etc. fieri posse nemo dubitabit. b) Ad eorum igitur factorum classem haud referunt carmen cum amico communicatum, aut amice scriptum, sed contra sribentis intentionem et voluntatem evulgatum. c)

a) de typographis libros famosos exudentibus, bibliopolis eos vendentibus, et distrahentibus vid. PIETTMANN. l. c. §. 149. E. G. KVISTNER de publica rei librariae cura, Lips. Praefid. A. F. SCHOTTO defensio, 1778.

b) BOEHMERI Medit. a. 110. §. 5. et reliqui Interpretes.

c) BOEHMER l. c.

§. V.

DE POENA FAMOSI LIBELLI DOCTORVM SENTENTIA.

Quod denique ad poenam famosi libelli hodiernam attinet, olim quidem nonnulli fuerunt, qui verbis C. C. C. art. 110. derselbig boshaftig Lesterer soll nach Erfindung solcher Uebelthat als die Recht sagen, mit der Peen in welche er den unschuldigen geschmeckten durch seine unwahrhaftige Lästerschrift hat bringen wollen, gestraft werden, arctius inhaerentes eandem

poenam

poenam etiam hodienum applicandam esse censuerunt, ideoque cum Imperatore distinxerunt, num crimen imputatum ab auctore famosi libelli calumniose effictum, an verum fuerit; priori casu secundum indicata articuli verba poenam talionis, posteriori vero poenam arbitrariam statuentes ob verba articuli finalia und ob sich auch gleichwol die aufgelegt Schmach der zugemessen That in der Wahrheit erfunde, soll dannoch der Ausruffer solcher Schmach nach Vermög der Recht, und Ermessung des Richters gestraft werden. a) Contra vero ab ea sententia rigidiori sensim sensimque recentiores deflectere atque generatim hodie aduersus auctores famosi libelli nonnisi poenam arbitrariam decernendam esse censuerunt, nempe aut pecuniariam, si facultates rei permittunt, aut, quando reus vilioris conditionis sit, relegationem, aliamve corporalem, fustigationem tamen haud facile excedentem. b) Quoniam vero poena arbitraria inter ideas vagas pertinet, in minori aut maiori malo consistere potest, eaque, nisi iudicis animus momentis quibusdam certioribus regatur, ad absurdum rediret, in determinando poenae aut gravioris aut mitioris gradu ad eam praecipue facti inspectionem iudicis attentionem flectere curiunt 1) num crimen obiectum gravius aut levius sit, et quale igitur probata illius existentia, malum inde redundaret, cuius proportioni, quamvis talionis applicationem protenus negent,

poenae tamen arbitrariae gradum quodammodo accommodandum esse putant, c) 2) num delictum imputatum falsum an verum fuerit, hoc casu ex ipsius legis argumentis arbitrariam quoque poenam admodum mitigantes, 3) num famoso libello alteri revera grave damnum illatum fuerit nec ne, 4) num in personas superiori dignitate conspicuas grassatus sit calumniator, adeo, ut usque ad capitalem poenam iudex progredi possit, eo casu, si simul seditionis fuerit, et crimen perduellionis aut laesae maiestatis concurrat, quae tamen adiectione superflua est, quoniam tum famosus libellus in aliud planne delicti genus transmutatur, et maius crimen levius absorbet. d) Socios itidem pro gradu concursus arbitrarie puniendos, speciatim quoque typographos et bibliopolas, qui libellos famosos excuderunt aut distraxerunt, illius exemplorum confiscationem pati, imo eosdem nonnunquam privatione iuris, libros excudendi vendendique coerceri debere tradunt. e) Causas mitigantes praetermitto, quoniam de communibus e generali delictorum indole constat, speciales vero ex iis momentis, ad quae a iudice in determinatione poenae arbitrariae attendi debere, iam indicavi, facile elici possunt. f)

a) CARPOV. quæst. 98. n. 8.

BERLICH P. V. concl. 67. n. 68.

CLASEN ad C. C. C. a. 110.

b) STRYCK

- b) STRYCK in usu moderno. Tit. de iniur. §. 43.
- KRESS. ad b. n. §. 3.
- LEYSER sp. 152. m. 3.
- MEISTER l. c. §. 152.
- BOEHMER ad Carpzov. quæst. 98. obf. 2. Idem in Medit. ad C. C. C. §. 8.
- KOCH. l. c. §. 391.
- QVISTORP. l. c. §. 315.
- PVITTMANN. l. c. §. 416.
- c) Ita Interpretes citati plerique, quibus tamen contradicit BOEHMERUS in Med. ad art. 110. §. 8. nescio qua iuris specie negans, crimen obiectum, sive capitale sive non capitale fuerit, in poenam influere, quae tamen sententia quam maxime lubrica milie videtur, quoniam omnino diversus plane dol gradus, et diversa damni inferendi intentio adest.
- d) Alios casus quamvis admodum dubios vid. apud BOEHMERVM in med. ad art. 110. §. 8. Poena enim arbitaria per se ad capitale suppli- cium extendi non potest, nisi gravius delictum concurrens illud le- ge expressum secum ferat. PVITTMANN l. c. §. 84.
- e) R. I. de 1530. §. und nachdem et de 1541. §. ferner baben mir be- funden. de a. 1577. Tit. von Buchdruckern. BOEHMER ad Carpzov. qu. 98. obf. 2. PVITTMANN l. c. §. 419.
- f) De titulo permutationis aut ignorantia, aliisque causis mitigantibus bibliopolas ad omnia perlegenda haud obligatos saepissime excusanti- bus vid. BOEHMERVM l. c. et KOCHIVM l. c. §. 274.

§. VI.

DOCETVR, FAMOSVM LIBELLVM, PROPRIVM DELICTVM HAVD CONSTITVERE, SED VNICE AD INVIRIAS REFERRI DEBERE.

Tantum de communi doctrina qua hactenus famosus li- bellus a genere suo subiungi et propriis terminis includi voluit.

Verum

Verum enimvero admodum suspecta mihi videtur et superflua ea docendi ratio quoniam famosū libelli unice ad reliquas iniurias referendi sunt, et equidem praeter nomen neque in ipsis delicti characteribus, neque circa poenam quicquam deprehendi, quod genuinam rationem specificam, propriasque delicti notas indicaret. Quodsi vero omnes doctrinarum et scientiarum se^tiones et partitiones inutiles, atque superfluam erroneamque dogmatum multiplicationem inferentes evitandae sunt, tum profecto et famosi libelli a reliquis iniuriis facta separatione plane carere potuissimus. Sicut enim quaevi facta in alterius contumeliam directa, etiam accusationes temerariae, falsa testimonia, iudicis excessus etc. generatim ad iniurias pertinent, ita et famosus libellus. Sicuti quaevi iniuria aut levior est, aut innumeris circumstantiarum, loci, temporis, personarum, modi, varietatibus atrocior fieri potest, ita et idem famoso libello sit. Sicuti propalatio contumeliae, scripturae evulgatione, ita et ore tenus publica declaratione, narratione per domus, sparsione in vulgus fieri potest. Scriptura sane, quam in primis Interpretes urgent, differentiam specificam sensu iuridico non constituit, cum quaevi artium partitiones pro fine illarum fieri, ideoque et ICatum eas tantum admittere decet se^tiones, quae diversas juris applicationes pariunt, et diversa poenarum genera etc. an-

nexa

nexa, habent. Alias enim, si ex individualibus et meris fa-
cti differentiis, quae quidem diversos dolis et damni gradus,
haud vero proprias delictorum classes involvunt, propria statim
crimina effingeremus, ingens fieri deberet eorum numerus,
et e.g. concionatorum iniuriae, advocatorum convitia,
milliaque alia propriis titulis insigniri deberent. Denique, ut
in primis notandum est, eadem, quae generatim iniurias se-
quitur poena arbitraria, etiam in famosi libelli crimine secun-
dum communem interpretum doctrinam obtinet. Sicuti au-
tem generatim in determinanda iniuriarum poena ad omnes
circumstantias respici debet, num iniuriae factis veris nitan-
tur, an secus, num ex loci, temporis, personarum, damni et
modi qualitatibus atrociores an leviores sint, adeo ut et ini-
uriiae orales pro re nata poenam capitalem secum trahere
possint, si simul ad facta seditione, maiestatem reipublicae lae-
dientia tendunt, ita et in famoso libello totidem cogitari pos-
sunt dolis atque damnorum gradus, quae vel ad leviorum vel
graviorem poenam definiendam iudicis arbitrium flectunt. Er-
go inter eos et reliquas iniurias ne minima quidem differen-
tia genuina animadverti potest. a) Sed age, iam evolvamus
genuinum famosi libelli conceptum ex ipsis legum argumentis,
deinde incommoda doctrinae communis breviter subiun-
gamus.

C

a) Sen-

- 2) Sensit id iam quodammodo BOEHMERVS ad Carpzov. *Quaest.* 98. *obs.* 1.
ibi: *quia poena famosi libelli per se arbitraria est, in effectu parum*
refert utrum scripta iniuria atrox, an famosus libellus fuerit.

§. VII.

APVD ROMANOS FAMOSVS LIBELLVS SOLVM [INTER INIVRIAS -
RELATVS ET PROPRIAM DELICTI SPECIEM NON EFFECIT,
QVOD DEMONSTRATVR

I) EX GENERALI INIVRIA SIGNIFICATV.

Quum ad leges Romanorum animum advertimus, easque penitus indagamus, inde statim intelligitur, peculiare famosi libelli crimen eos ignorasse, idque unice sub iniuria comprehendisse. Cum enim practer facta illicita extremum doli aut damni gradum inferentia, vel propriam suam indolem habentia et speciali lege notata, innumerae sunt malitia humanae, qua corpus, fama, bonaque alterius impeti [possunt, excursiones et variationes, quibus omnibus ob circumstan- tiarum individualium diversitates impossibile est speciales poe- nes legibus accommodare, recte Romani ea omnia ad iniuriarum genus retulerunt. Iniuria igitur significatu patet admodum amplio. Denotat facta, quae non iure suscipiuntur, a) seu legibus, aequitati, et consuetudini repugnant, b) modo damna dolo et culpa data, c) modo iniquitates et iniustiam iudicantium d) modo contemptus et contumelias ad laeden-

dum

dum alicuius corpus, dignitatem, honorem, famam tendentes e) temerarias accusations, falsa testimonia, f) et in primis famosos libellos, qui expressis verbis inter iniurias numerantur. g)

- a) §. 1. pr. l. de iniur. t. 1. pr. ff. cod. tit.
- b) l. 1. §. 2. ff. quod quisque iure. §. 9. l. de I. N. G. et civil. l. 35. ff. de leg.
- c) §. 1. 2. l. de iniur. l. 1. ff. si quadrup. paup. fecisse. l. 5. §. 1. ff. ad L. Aquil.
- d) l. 3. ff. quod metus causa. l. 7. §. 2. ff. de minorib.
- e) l. 1. pr. ff. de iniur. l. 3. ff. de iust. ex iure l. 10. §. 12. ff. de in vocando.
- f) l. 13. C. de test. conf. etiam L. XII. tabb. tab. 7.
- g) l. 5. §. 9. D. de iniur. ex famos. lib. §. 1. l. de Injur. ibi: Iniuria autem committitur non solum cum quis pugno pulsatus, aut sustibus caecus, vel etiam verberatus erit: sed et si cui convicium factum fuerit, sive cuius bona quasi debitoris, qui nihil deberet, possessa fuerint ab eo, qui intelligebat nihil cum sibi debere: vel se quis ad infamiam alicuius libellum, aut carmen, aut historiam scripsisset, composuerit, ediderit, dolore male fecerit, quo quid corum fieret; sive quis matrem - familias aut praetextatum praetextatum affectatus fuerit; sive cuius pudicitia attentata est dicetur, et denique alias plurimis modis admitti iniuriam, manifestum est.

§. VIII.

?) E COMMUNI POENAE PRAECIPUE TALIONIS INDOLE, AD
INIVRIAS APPLICATA.

Eadem Romanorum sententia, qua famosum libellum a reliquis iniuriis nunquam separarunt, clariss adhuc patet e communi poenae, nempe talionis indeole ad omnes fere iniurias applicata. Id enim poenae genus naturalis vindictae instinctus omnes antiquos homines docuit, atque in eo admodum conspirant Israelite, Romani, ac veteres Germani. a) Ita vero i) leges iam XII. Tab. iniurias reales talionis poenae subiiciunt „si membrum rupit ni cum eo paicit, Talio esto etc. b) Reliquas leviores ad certum pretium taxarunt. Mutatis temporum rationibus aestimandi facultatem Praetores introduxisse, atque lacris concessisse notissimum est. c) 2) Accusatores temerarii talionis poenam subierunt. d) Et quoniam illud principium Romanorum per omnes fere iudiciorum partes conspicuum erat, unumquemque iuris sui ipsum auctorem esse debere, deinde ne accusatores, effectis causarum probabilium allegationibus, calumniae poenam subterfugere aut inconsulto ad accusationem profilire potuissent, introduxerunt subscriptionem in crimen, qua nempe, ut PAVLVS interpretatur e) accusator libello in id subscribebat, se poenae similitudini subiectum

iectum velle, si probatum non dedisset, quod alteri inten-
tabat delictum. ^{d)}

a) Cf. Eques MICHAELIS *im Mos. Recht.* §. 240.

HEINECCIVS *clem. iur. Germ. L. III.* §. 343.

b) *Tab. VII. secundum IAC. GOTHOFREDVM.*

c) vid. *lib. huius legislationis apud HEINECCIVM Ant. iur. rom. Lib. IV.*
Tit. IV.

d) *I. ult. C. de accusat. et inscript. ibi:*

„nec impunitam fore noverit licentiam mentiendi, cum columnante
„ad vindictam poscat similitudo supplicii.

I. io. C. de columna.

e) *I. 3. §. 2. D. de accus. et Inscrip.*

f) *I. 7. D. de accus. et inscript.* „Si cui crimen obiciatur, praecedere de-
„bet in crimen subscriptio, quae res ad id inventa est, ne facile quis
„proficiat ad accusationem, cum sciat, insultam sibi accusationem non
„futuram.

Carol. SIGONIVS *de ordine antiquo iudiciorum, L. II. c. 10.*
de SELCHOW *Ant. iur. rom. §. 259.*

§. IX.

CONTINVATIO DE POENA FAMOSI LIBELLI APVD

ROMANOS.

Ad eandem accusatorum temerariorum classem Romani
quoque carminum ad alterius infamiam conceptorum auctores

numerarunt, sive nomen suum carmini subscripterint, sive il-
lud sine nomine ediderint. Ita enim PAVLVS ait:

„Si quis librum ad infamiam alicuius pertinentem scripsit,
„composuerit, ediderit, dolore malo fecerit, quo quid eorum
„fieret, etiam si alterius nomine ediderit, vel sine nomine, uti
„de ea re agere liceret, et si condemnatus sit qui id fecit, in-
„testabilis ex lege esse iubetur. Eadem poena ex SCto tene-
„tur etiam is, qui ēστι γραμματα i. e. inscriptiones, aliudve
„quid sine scriptura in notam aliquorum produxerit, item qui
„emendum vendendumve curaverit. Et ei quid indicasset, si
„ve liber sive servus sit, pro modo substantiae, accusatae
„personae, aestimatione iudicis pretium constituitur; servo
„forstitan et libertate praestanda. Quid enim si publica uti-
„litas ex hoc emergit? a)

Poenam vero carminis famosi, ut temerariae accusationis,
antiquissimis iam temporibus nonnisi talionis fuisse, equidem
contra alios, indistincte capit is poenam apud Romanos ve-
teres obtinuisse, putantes, b) contendo. Ita enim CICERO
in libro IV. de Republica eiusque fragmentis adhuc extanti-
bus ait;

„Nostrae

„Nostrae contra XII. Tabulae cum perpaucas res capite san-
 „xissent, in his banc quoque fanciendam putaverunt, si quis
 „actitavisset, sive carmen condidisset, quod infamiam affer-
 „ret, flagitiumve alteri. Praeclare: iudiciis enim ac magi-
 „stratum disceptationibus legitimis propositam vitam, non
 „poetarum ingenii habere debemus, nec probrum audire ni-
 „si ea lege, ut respondere liceat, et iudicio defendere. c)

Atque IDEM eodem libro:

„Probris et iniuriis poetarum subiectam vitam famamque ba-
 „bere noluerunt, capite etiam puniri fancientes, tale carmen
 „condere si quis auderet. d)

Ex quibus CICERONIS verbis simul ratio severitatis et simili-
 tudinis inter temerarium accusatorem et famosi libelli auto-
 rem patet, quoniam nempe talium carminum fabricator, legi-
 timam accusationis viam haud ingrediens, ipso facto temera-
 riū animū declarare videbatur, quamvis equidem haec fa-
 cta, ut infra docebo, non quidem intuitu ipsius delicti, sed
 tamen doli atque damnum inferendi conatus gradibus a se
 invicem differre, atque calumniosam accusationem ob pro-
 niorem laedendi animum et periculi gravitatem famosum li-

bellum

bellum superare credam. Verum huic CICERONIS relationi
obstare videntur, quae in XII. TAB. legibus occurunt verba
secundum versionem ac interpretationem recentiorem ita so-
nantia:

*, si quis publice aliquem diffamaverit, eique convicium fe-
, cerit, vel carmen famosum condiderit ad alterius iniuriam,
, seu infamiam, fustibus feriatur,,*

ubi igitur de poena solum fustuaria sermo est, cuius mentio-
nem etiam fecit HORATIVS.

— — — quin etiam lex
*Poenaque lata, malo quae nolle
earmine quemquam
describi: vertere modum, for-
midine fustis
Ad bene dicendum delectandum-
que redacti. e)*

Vnde plerique Interpretes CICERONIS auctoritate muniti sibi
persuaserunt, generatim antiquo iure capitalem fuisse famosi
carminis poenam, atque fustigationem etiam ad necem usque
procedere potuisse. f) Verum allegata CICERONIS testimoni-
nia cum reliquis XII. Tab. fragmentis exstantibus amice con-
spirare mihi videntur, si omnia de talione rite intelliguntur.
Nempe ob delicta capitalia, carmine obiecta, supplicia
in auctorem statuebantur, in reliquis autem casibus fustum
ictus,

istus. Ea autem fustium poena, quae iterum pro circumstan-
tiarum varietate cum maiori, aut minori rigore exerceri po-
tuit, nonnisi ideo determinabatur, quoniam temporibus anti-
quis in innumera delicta, nullae adhuc poenae certae defini-
tae erant, ideoque talio in tantum quidem, quantum delictum
obiectum certa poena notatum fuit, locum habuit, in reli-
quis autem quoddam poenae genus praescribi debuit. Post-
quam vero sequenti tempore judiciorum publicorum nume-
rus auctus atque poenae publicae curatus definiebantur in
singula delicta: tum varias quoque deprehendimus carminum
famosorum coercitiones. Ita etiam AVGVSTI aevo, qui teste
TACITO ^{a)} cognitionem de famosis libellis specie legis tracta-
vit, commotus Cassii severi libidine, qua viros feminasque il-
lustres procacibus scriptis diffamaverat, et postea ICti PAVLI
tempore, relegatione, deportatione aliquis poenis carminis
famosi reos punitos invenimus, ^{b)} quod sane aliter non in-
telligendum, quam ad talionis regulas, quantum fieri potuit,
revocatam fuisse poenam, et nonnunquam ob criminum
capitalium obiectionem supplicia, nonnunquam alias coerci-
tiones obtinuisse. Praeterea ut statim ulterius explicabo mul-
tum et Imperatores in hac re genio suo indulserunt. ^{c)} Deni-
que incidenter hic observandum, famosorum carminum au-
tores, ut ICtus PAVLVS refert, SCto fuisse intestabiles. ^{d)}

D

a) 1. 5.

- a) l. 5. §. 9. D. de Iniur. et fam. lib.
 b) versantur in ea opinione BOEHMERVS in med. ad C. U. C. art. 110. §. 7.
 BRVNQVELL de picturis sum. §. 5.
 c) apud AVGUSTINVM de civitate Dei Lib. II. 12. 13.
 d) AVGUSTINUS l. c.
 e) HORATIVS Epistol. Lib. II. 1.
 f) l. 7. §. 1. D. ad Leg. Aquil. l. 1. §. 17. D. ad SCt. Silan. HEINECCIVS
 l. c. §. 2. BRVNQVELL l. c. §. 5.
 g) TACITVS Annal. Lib. I. cap. 72.
 h) PAVLVS recept. sentent. Lib. V. 4. 15. 17.
 i) Celebre tamen exemplum carminis famosij cum laesa maiestate coniunctum
 vid. apud TACITVM in Annal. Lib. XIV. c. 48 sq. Postquam, (Neroni
 regnante) ANTISTITVS probrofus adversus principem carmina facilitavit, vul-
 gaginque celebri concitio, IVNIVS quidem MARVLLVS conful designatus cen-
 suit, adimendum reo Praetoram, necandumque more maiorum; ast PAETVS
 THIRASEA multo cum honore Caesaris et acerrime increpito ANTISTITIO,
 non quicquid nocens reus pati meretur, id egregio sub prin-
 cipe et nulla necessitate obstricto senatu statuendum differuit,
 carnificem et laqueum pridem abolita, et esse poenas legibus
 constitutas, quibus sine iudicium saevitia et temporum infamia
 supplicia decernerentur. Quin in insula, publicatis bonis, quo
 longius fontem vitam traxisset, eo privatum miserior, et pu-
 blicae clementiae maximum exemplum futurum. In cuius senten-
 ziā, rupto servitio, et reliqui pedibus ire. Nec Imperator, quamvis se
 offensum putavit, inter pudorem et iram cunctatus, eam reprobavit.
 k) l. 5. §. 9. D. de iniur. l. 18. §. 1. D. qui testam. fac. poss.

§. X.

NEC CONSTITUTIO L. VN. C. DE FAM. LIB. POENAM CAPITA-
 LEM SANCIENS PROPRIVM AVT NOVVM QVID INVOLVIT.

Nequae etiam Imperatorum VALENTINIANI et VALENTIS
 constitutio, carminis famosij auctores et socios capitali sup-
 plicio

plicio iterum subiiciens, proprium aut novum quid involvit.
Ita enim illius verba sonant.

„Si quis famosum libellum sive domi, sive in publico, vel
„quocunque loco ignarus repererit, aut corrumpat, priusquam
„alter inveniat, aut nulli confiteatur inventum, si vero non
„statim easdem chartulas vel curruperit vel igni consumperit,
„sed vim earum manifestaverit; sciat se quasi auctorem huius-
„modi delicti capitali sententiae subiugandum. Sane si quis
„devotionis suae ac salutis publicae custodiam gerit, nomen
„suum profiteatur, et quae per famosum libellum persequenda
„putaverit, ore proprio edicat, ita ut absque ulla trepidatione
„accedat, sciens quidem, quod si assertionebus suis veri fides
„fuerit opitulata, laudem maximam et praemium a nostra cle-
„mentia consequetur. Sin vero minime haec vero ostende-
„rit, capitali poena plectetur. Huiusmodi autem libellus al-
terius opinionem non laudat.

Quae facile explicare possunt, si historia legislationis ad
animum revocatur. Nempe cum iam TIBERIVS carminum fa-
mosorum licentiae eam ob causam admodum indulxit, ut illis
criminationibus via pararetur, qua adversus innocentes ipsi
ingratos inquirere et grassari posset, tum quoque pessima
lues sequentia tempora adeo infecit, ut iam TACIRO teste b)
saepissime ignoti et egentes occultis libellis saevitiae princi-

pum adreperint, et mox clarissimo cuique periculum fecerint. Igitur laudati Imperatores morem foedissimum et intolerabilem evertendum censuerunt, eumque repetita capitali poena acerrime interdicunt cum admonitione, ut qui devotionis suae sc. in principem aut salutis publicae custodiam gerere velint, nomen profiteantur sc. inter solemnes accusatores. Quoniam vero eorum maxime protervia hanc constitutionem excitavit, qui tertios innocentes laesae maiestatis famosis libellis, illegali modo accusarunt, eoque Imperatorum gratiam aucupari voluerunt, facile constat, capitale supplicium non generale, et ad omnes famosi carminis species accommodatum fuisse ea constitutione, quem erroneum sensum plerique inde derivant, ^{c)} sed capitalia tantum crima praeципue adversus maiestatem commissa famoso libello obiecta eam poenam contraxisse, ^{d)} reliqua autem levioribus coercionibus, ut antea subiecta manifisse. ^{e)}

a) TACITVS in Annal. Lib. I. c. 72.

b) IDEM l. c. c. 74.

c) vid. BOEHMERVM ad Carpzov. qu. 98. obsf. 2.

BRVNQVELL l. c. §. 5.

d) omnia clarius parent ex Tit. C. Theod. de fam. lib. Hinc recte MATTHAEI Comment. ad L. XLVII. Tit. de iniur. p. m. 164. capitulis poemam restringit ad eiusmodi libellum, quo gravia et capitalia delicta obiciuntur.

e) de privato iniuriarum remedio etiam adversus auctorem famos. libelli competente vid. l. 6. D. de iniur. et fam. lib.

§. XI.

CONSTITVTIO CRIM. CAROL. ITIDEM FAMOSVM LIBELLVM AD
RELIQVAS INIVRIAS PRAECIPVE ACCVSATIONIS TEMERARIAE ET
FALSI TESTIMONII CLASSEM REFERT, COMMVNIS TALIONIS
APPLICATIONE.

Recte igitur Imperator *Carolus V.* ad ius Romanum provocat, atque minime, ut quibusdam visum, a) novi quid introducit, cum in Constitutione criminali a. 110. poenam talionis in famosi libelli autores ac socios statuit, eoque ipso hoc crimen ad eam iniuriarum classem refert, in quibus ille generatim talionis applicationem servare voluit. Ita enim temerarias accusations, b) ita falsa testimonia, c) ita denique eodem modo famosi libelli crimen talione vindicare voluit.

a) BOEHMERVS ad Carpzov. qu. 98. obf. 2.

b) Id enim moribus Germanorum quoque convenit, et ab Imperatore approbari voluisse ex analogia art. 68, et 107. colligendum. vid. Io. Andr. HOFFMANN de modis Germanorum coercendi malevolos accusatores. Ien. 1748.

BOEHMER ad Carpzov. quæst. 106. obf. 3.

c) C. C. C. art. 68. et 107.

§. XII.

DENIQUE IDEM MVLTO MAGIS HODIE, EX QVO TALIONIS
LOCO NONNISI POENAE ARBITRARIAE VSV SERVANTVR,
ASSERENDVM EST.

Denique multo magis hodie, ex quo poenam talionis, seculis rudioribus accommodatam, generatim non amplius ap-

plicandam, sed in illius locum arbitrarias solum poenas substituendas esse, plerique convenient, ne minima quidem ratio superest, cur hoc crimen a reliquis iniuriis itidem arbitratrice coercendis separetur, quoniam secundum regulas supra iam indicatas omnia ad doli damni minitati gradus, ac reliquias circumstantias redeunt, ex quibus unice poenae mensura derivanda est.

§. XIII.

CONCLVSTO

DE VARIIS SIMPLICIORIS DOCTRINAE COMMODIS.

Supereft, ut vel brevissimis tantum simplicioris doctrinae commoda subiungam. Nempe cum famosus libellus, evitata inutili illius separatione, unice ad reliquias iniurias tanquam genus suum refertur, tum

1) cessat et superflua est tota disputatio, num subscriptio auctoris necessaria sit nec ne. Potest enim in diversis factis mox ex celatione nominis, mox autem ex illius

adiectione, maior doli et damni gradus oriri, ad quem unice respiciendum est.

2) superfluum est, commune requisitum criminis infamantis obiecti. Est enim et cum levioris criminis illicita

propa-

propalatione iniuria conjuncta, quae coercionem meretur. In his autem et in gravioribus poena arbitraria obtinet, quae diversas delictorum classes haud gignit, sed gradu tantum differt pro delictorum obiectorum, et reliquarum circumstantiarum s. iniuriae atrocis aut non atrocis diversitate.

3) Evitatur separatio diffamationis oralis a scripta. Haec enim in famoso libello concurrens, sensu iuridico minime specificam differentiam ab aliis iniuriis, sed individualem tantum indicat, ex quo sequitur, diffamationem ore in publicum sparsam ceteris paribus nonnunquam eidem poenae subiici posse.

4) Generatim famosus libellus a reliquis iniuriis, in primis temerariis accusationibus, falsis testimoniis etc. non specie iuridica sed gradu tantum mox minori, mox maiori differt; ubivis animus nocendi, aut famam alterius suggestandi adest, ad quem in temerariis accusationibus et falsis testimoniis ulterior et proximior conatus, alteri malum physicum vel pecuniarium infligendi accedit.


(8 8)

5) Poena

5) Poena arbitraria ad omnes iniurias pertinet, et circumstantiis supra iam explicatis temperari debet. (§. 5.)

Quibus positis

6) separata doctrina de famoso libello, nil nisi inutilem dogmatum repetitionem gignens, evitatur, omnia sub generalioribus iniuriarum regulis comprehenduntur, hocque ipso Institutiones iuris criminalis simpliciores redduntur.




ULB Halle
003 331 415

3



TA-OC





435 1781 636 16

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA

DE

FIGMENTO CRIMINIS FAMOSI LIBELLI.

QVAM
DIVINIS AVSPICIIS
ANNVENTE INCLYTO IVRECONSULTORVM ORDINE
PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTRQVE IVRE HONORES
ATQVE PRIVILEGIA DOCTORALIA

RITE CAPESSENDI
PVBLICAE DISCEPTATIONI
SUBMITTIT
IOHANNES MICHAEL SCHMIEDIVS
HERESBRVCCENSIS.

D. XII. MARTII C¹⁷CCLXXXI.



ALTDORFII

TYPIS IOHANNIS ADAMI HESSELII ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

